



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput IV. Apostasiae notio, divisio, ac poenae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

ro ex legislatorum mente non solum qui ipse legit, sed & qui alium ad prælegendum subdole inducit, hac lege comprehenditur. Libri quoque nomine non solum copiosi tractatus sed conciones, epistolæ polemicæ dissertationes &c. praxi ecclesiastica subintelliguntur; magna enim non raro ejusmodi fragmenta, quam multa volumina nocent.

CAPUT IV.

Apostasiæ notio, divisio, ac pœnæ.

Apostasia generice sumpta, prout eam sanctus Thomas definit (2. 2. quæst. 12. a. 1.) est retrocessio a Deo. Hacque ratione omnis peccator apostata dici potest, specialius accepta est retrocessio a bono, quod quis solemniter professus est. Bonum spirituale quod christianus homo solemniter profiteri potest triplex est: fides videlicet, ordo clericalis, & ordo monasticus: unde Triplex Apostasia a Moralistis distinguitur, nempe a fide, a Clericatu, & a religioso statu.

Apostasia a fide est retrocessio a tota fide seu Religione christiana, quam quis in baptismo &c. suscepit. Cum hæresi fere coincidit, quoad dissensus tamen objectum ab illa differat. Hæreticus enim unum vel alterum fidei articulum perfide deserit aut negat: apostata integram articulorum compagem abijcit, ac a tota Christiana fide recedit.

Bullæ cœnæ, & regulæ decimæ Indicis verba de legat, suamque inde sententiam firmat.

Apostasiæ notio, divisio, ac pœna. 437

Maximum est apostasiæ peccatum, ipsamque hæresim sua malitia vincit. Hinc sapiens ait: *Homo apostata vir inutilis, gradiens ore perverso* (Prov. 6.) Et sanctus Petrus: *Melius erat ei veritatem non cognoscere, quam post cognitam retroire* (2. Pet. 2.) Eædem proin canonice pœnæ, quæ hæreticos, etiam apostatas concernunt (a).

Apo-

(a) Ut ordinata, ac firma cujusdam hæretici fiat conversio, aliis ante conversionem aliis in conversione, aliis post conversionem adminiculis eundem juvare Catechista debet. *Ante conversionem* dñm nempe adhuc de veritate doctrinæ non minus suæ, quam catholicæ angitur blande admonendus est. 1. Ut ad Patrem luminum humiliter confugiens sæpius ingemiscat: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte.* 2. Ut veræ Ecclesiæ notas Unitatem, Sanctitatem, Orthodoxiam, & Apostolicitatem attente perpendat, ac ubinam sint, inquiret. 3. Ut præter S. Scripturas non unice spiritum privatum, utpote omnium errorum parentem, sed Ecclesiam veritatis Magistram auscultet. 4. Ut affectum carnis, ac humanum respectum missos faciat, memor illius Christi effati: *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (Luc. 9.). *In conversione* 1. Pessima, quæ de Ecclesia Romana jam in pueritia hausit, præjudicia sunt auferenda. 2. Sedula de fidei articulis instructio facienda. 3. Fidei exigenda professio, quæ coram Sacerdote superpelliceo induto, & duobus saltem testibus est emittenda. 4. Ab hæresi absolutus ad poenitentiam & Eucharistiæ sacramenta admittatur.

Apostasia ab ordine clericali est retrocessio a statu clericali, quem sacri ordinis susceptione quis est professus, ac transitio ad statum laicalem rem absque legitima dispensatione Superiorum. Per sacri enim ordinis susceptionem homo specialius Deo obstringitur, sicut miles Regi: unde de sicut hic clancularia abscessione desertor, ita ille infamis Apostata evadit.

Pœnæ canonicæ ejusmodi apostatarum sunt
 1. Amissio privilegii canonis, & fori (cap. 2. de *Sent. Excommunicat.*) 2. Excommunicatio ferendæ sententiæ nondum contracto; & laicæ sententiæ contracto jam matrimonio (cap. 3. *eod.*) & *Clement. unic. de Consang.* 3. Incarceratio (cap. 5. *tit. eod.*) 4. Infamia ex factoretorio promanans, ex qua etiam irregularitas oritur.

Apostasia ab Ordine religioso est retrocessio ab ordine approbato post solemnem professionem absque legitimæ dispensationis, aut licentiæ reverentia facta cum intentione non amplius revertendi. Qui absque hac intentione a suis monasteriis abscedunt potius vagabundi, quam apostatae sunt dicendi.

Post conversionem monendus est, ut fugatur
 1. Superbiam, 2. hæreticorum consortia, 3. curiosam lectionem, ac investigationem; econtra vero ut *studeat*, 1. fidem magnificare, 2. constantia Deum rogare, 3. fidei actus sepe elicere, 4. addiscendis melius fidei mysteria operam navare &c. Hæcque ipsa remedia etiam catholicis, circa fidem tentatis, optime servient.

Etiā pro his quædam in jure statutæ inven-
iuntur pœnæ. 1. Qui ordinem deserit, simul-
que sacrum habitum seponit ipso facto majore
excommunicatione innodatur (cap. 2. *ne Clerici,*
& *Monachi* in 6.). 2. Qui retento habitu
solum ab ordine abscedit excommunicationi vel
latæ, vel ferendæ sententiæ subjacet, prout
nempe cujusque religiosi instituti leges denotant.
3. Excommunicationem quoque latæ sententiæ
incurrunt vagabundi, qui nempe animo solum
vagandi quoad tempus monasterii septa deserunt
(cap. cit.). Scandalis propemodum infinitis,
quæ a circumerrantibus hisce monachis per
provincias propagantur, omnes istæ pœnæ, his-
que majores debentur. Sed de his plura Ca-
nonistæ.

SECTIO II.

DE

SPE ET VITIIS OPPOSITIS.

CAPUT I.

Spei notio, & obligatio.

Fuerunt, qui spem a cæteris virtutibus Theo-
logicis non distinxerunt. Ab his moderni
heretici non multum differunt, dum spem cum
fide confundunt, omnesque sola confidentiali in
Christum fide salvari contendunt. *Alit sanctus*

E e 4

Paulus